

14212

Σὺν τῷ Θεῷ!

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

PRÆDESTINA.

TIONE FILIORUM DEI

AD SALUTEM,

JUSSU ET AUTORITATE

Admodum Rever. Collegii Theologici

in Alma Lipsiensi,

Conscripta

&

In Actu

Promotionis Doctoralis

ab

ANDREA KUNADO, SS.

Theol. Lic. Pastore & Superintend.

hactenus Leisnicensi, nunc

Grimmeni.

d. 30. Septembr. Anno Æra Christiana 1640.

exhibita ac distributa,

Ut suo tempore, pro Loco in Facultate Theologica

consequendo, sub incudem Amicæ συζητήσεως

revocetur.

Excusa LIPSIÆ,

TYPIS GREGORII RITZSCHI.



col. ev. dogm.
92, 21

*Reverendissimo, Generoso & maximè
Strenuo Viro,*

**DN. HEINRICO à Friesen in Rôthaw/
Serenissimi Electoris Sax. Cancellario Eminen-
tissimo, Intimæ Admisionis Consiliario, Judici Appel-
lationum Præsidi, Præfecturarum Rochlicienfis, Coldicenfis,
Leisnicenfis & Bornenfis Capitaneo, & Episcopatus Mar-
tispurgenfis Præposito meritisfimo;**

Nec non

*Viro itidem Generoso & perquam
Strenuo,*

**JOHANNI à Bonickaw in Pomfen/
Nawenhoff/Polenz & Ottendorff Hæreditario,
Sacræ Cæsareæ Majest. nec non Serenifs. Electoris Saxon.
Consiliario Spectatissimo, Aerarii Imperialis Præfecto, itemq;
Provincialis Ludi Grimmensis Inspectori Primario, &
Præfecturarum Lipsiensis & Grimmensis
Capitaneo dignissimo,**

*Dominis, Patronis & Meccænatibus suis
perquam Gratosiss,*

Theologicam hanc $\Delta\iota\acute{\alpha}\sigma\kappa\epsilon\psi\iota\upsilon$

in


Humillimæ devotionis argumentum

dedicat & offert

Autor.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885



Σὺν τῷ Θεῷ!



Vàm svavis & salutaris est doctrina de *Prædestinatione* Filiorum DEI ad salutem, si ex Evangelio dextrè explicetur; tàm inutilis, odiosa, ingrata, blasphema & horribilis redditur, si vel ex prævisis Operum Meritis suspendatur, vel ex Absoluto Particularitatis Decretò derivetur. Operibus enim fidendum non esse, docet S. Paulus, qui cupit olim inveniri in Christo, non habens suam Justitiam ex Lege, sed eam, quæ est per fidem Christi, ex DEO, Phil. 3, 9. Imaginatio verò Absolutæ cujusdam Dilectionis & Electionis quoad paucos homines, præterquam quod Universales Evangelii Promissiones, adeoque vim Consequentia in *πράξεις* & applicatione instituendæ enervat, hoc etiam agit, ut Aliis Epicuri scholam aperiat, alios verò etiam in discrimen desperationis adducat. Quæ cum ita se habeant, visum est *Admod. Reverendo Collegio Theologico Lipsiensi*, hoc Mihi negotium dare, ut repetitâ ex verbo DEI sanâ doctrinâ de nostrâ ad salutem *Prædestinatione*, quibus Ea fundamentis nitatur ostendam, & dulcissimam illam consolationem de Jure Filiorum DEI & solidâ salutis certitudine in Christo per fidem quærendâ asserere allaborem. Ut igitur hoc Institutum cedat ad Nominis divini gloriam & salutarem nostri ædificationem, faxit DEUS Trinus benedictus in secula.

APHORISMUS I.

Circa vocem *Prædestinationis* notanda sunt diversa ejus significata, tùm Synonyma seu *Æquipollentia*, & denique *Cognata vocabula*.

I. *Prædestinare* vi vocis est aliquid ad certum finem destinare & ordinare, priusquam id eveniat. Græci dicunt *προορίζω*, q. prædefinire & in antecessum ad certum *τέλος* seu finem dirigere. Habet igitur hæc vox *emphasin* tùm alicujus *prioritatis* in collatione æternitatis ad tempus; tùm *deliberatæ intentionis*,

quã aliquid certo ac definito modo ad destinatum finem ordi-
natur. Finis autem semper habet rationem Boni. Ideoque in
Sacris hæc notio non nisi de Electione Filiorum DEI ad salu-
tem usurpata reperitur, id quod iis observandum erat, qui con-
tra usum Scripturæ & indolem vocis Græcæ, quæ sola ἐκλεκτός
est, significationem ejus ad Electionem pariter & Reprobatio-
nem extendere consueverunt.

II. Cæterum intra hos genuinæ significationis limites *Ea-
dem vox* à Nostris quoque Theologis bifariam usurpatur. Nam
latè accepta complectitur Universum Mediorum salutis appa-
ratum. Sic F. C. monet, ut de Filiorum Dei Prædestinatione,
locuturi totam doctrinam de Proposito, Consilio, Voluntate
& Ordinatione DEI, adeoque omnia, quæ ad nostram Redem-
tionem, Vocationem, Justificationem & Salutem pertinent,
simul mentè complectamur. Art. II. Sol. Decl. p. 802. Sic & B.
Lutherus scripsit, ab Æternâ Dei Prædestinatione tanquam sca-
turigine primâ promanare, quis credere vel non credere de-
beat, salvus item fieri vel damnari possit præf. Epist. Rom. Ni-
mirum ex hypothesi Finis, Quicumque vult salvus esse, necesse
est, ut credat. Tum ratione Mediorum in Proposito DEI com-
prehensorum. Qui ex Evangelio Christum agnoscit suum Re-
demtorem & Sacramentis rectè utitur, ille procul dubio po-
test salvus fieri. *Strictius* verò usurpata significat ipsam Ord-
inationem fidelium ad salutem secundum DEI Propositum in-
stitutam. Quã ratione *προβησις* seu *Propositum*, & *προορισμός*
seu *Prædestinatio* ut *distincta* discernuntur.

III. *Synonyma* Prædestinationis sunt Electio & Inscriptio in
Librum vitæ. Electio *ἐκλογὴ χάριτος*. Rom. II, 5. æqualis fe-
rè cum illa voce est ambitus. Elegit enim DEUS, quos præ-
destinavit, Ephes. I, 4. Rom. 8, 30. nisi quòd Electio discretio-
nem quandam & respectum ad Oppositam Reprobationem
involvit. Prædestinatio verò potissimum à Fine Nomen ac-
cepisse videtur. Quæ tamen Distinctio non impedit, quo mi-
nùs *προορισμένοι* Prædestinati & *ἐκλεκτοὶ* Electi in sacro Co-
dice pro Terminis æquipollentibus habeantur. Eandem verò
vim habet Inscriptio in Librum vitæ, cujus fit mentio Jes. 4, 3.
Phil.

Phil. 4, 3. Apocal. 35. cap. 13, 8. Est enim Christus ipse Liber vitæ, quatenus est fundamentum specialis Providentiæ divinæ circa Electos, quorum Nomina, ut humano more loquamur, innumerato habet, ovesque suas κατ' ὄνομα vocat, Joh. 10, 3. & DEO Patri tanquam præsentis sistit, ut nihil damnationis sit in iis, qui sunt in Christo Jesu, Rom. 8, 1.

IV. Cognata vocabula sunt *Præscientia, Propositum, Beneplacitum*. Præscientia differt à Prædestinatione tribus modis: Primum illa circa bona & mala versatur: Hæc verò solùm circa Bona. Deinde Præscientia est Actus Mentis: At Prædestinatio est Actus Voluntatis divinæ. Denique illa consistit in nuda rei, ut per se est, cognitione: Hæc verò simul causa est eorum, circa quæ versatur. Addimus tamen & hoc, quòd verba Notitiæ in Sacris sæpenumero Affectum connotent, sed qui cognitionem sequitur. Propositum est Decretum de Causis & Modo salvandi, secundùm quod Prædestinatio facta est, Eph. 1, 11. Differt itaque illud ab hac velut Norma à Normato, & ratione Ordinis, velut prius à posteriori. Idem dictum volumus de Beneplacito & Consilio DEI.

APHORISMUS II.

Est autem Prædestinatio gratiosa eorum Hominum, quos DEUS perseveranter in Christum credituros præscivit ad salutem ordinatio, facta secundùm Propositum Ipsius, in laudem gloriosæ gratiæ suæ.

I. Generis loco ponitur *Ordinatio*, voce ut videtur petita ex Act. 13, 48. vel Actio, quæ DEUS ordinat ex Ephes. 1, 11. ubi prædestinando DEUS dicitur ἐνεργεῖν secundùm consilium Voluntatis suæ. Includit enim respectum cum ad Medium, tum ad Finem, quæ ambo originem trahunt ab ipso DEO.

II. Alii malunt definire per *Voluntatem, Consilium, Propositum & Beneplacitum*, ideò quòd hæ voces ἀντὶ λέξεi in Sacris

reperiantur, Ephes. 1, 5. 2. Timoth. 1, 9. Sed quoniam ipsa Scriptura distingvit *πρόθεσιν καὶ προορισμὸν* tanquam Normam & Normatum, videtur non posse *κατ' ἀκρίβειαν* Unum per Alterum in Casu Recto definiri. Non tamen cuiquam propterea dicam scribimus, qui cætera de Natura Prædestinationis rectè sentit. Nam vox Decreti, vel Sententiam Decretoriam notat, vel Actionem Decretoriam, quæ conceptam sententiam certis personis applicat, & juxta illam eas disponit. Licet igitur Prædestinatio non sit Decretum in priori sensu: tamen in posteriori posset sic vocari.

III. Differentia complectitur Causas Electionis, veluti sunt inter Efficientes Gratia DEI, Christus fide apprehensus ut præscitus. Materialis seu Subjectum sunt Homines in fide perseverantes. Regula secundum quam Prædestinatio facta est, est Propositum DEI. Finis proximus est *ὑπόθεσις* & hæreditas salutis; Ultimæ verò Laus gloriosæ gratiæ DEI.

APHORISMUS III.

Causa Prædestinationis *προνυσμένη* & interna est Gratia & Misericordia DEI.

I. Gratia DEI est ille gratuitus DEI favor, quò nos in Christo dilectos elegit. Et ea quidem principem locum tenet in hoc Articulo, nec ulla hominum merita juxta se admittit. Non enim est volentis aut currentis, sed miserentis DEI, Roman. 9, 16. Id quòd evertit sententiam Pontificiorum de prævisis Meritis. Veruntamen Absoluta non est illa Gratia, sed ad CHRISTUM restricta & in Eo solidè fundata. Nec aliud evincunt omnes Calvinianorum Objectiones, quæ pleræque foveant Fallaciam Oppositorum. Gratiam enim & *εὐδοξίαν*, quam Scriptura hominum meritis opponit, Adversarii in Decreto Electionis obtendunt Christo, ex quo tamen Gratia Electionis elicitæ in nos redundat.

II. Sanè primus Amoris divini gradus, qui dicitur *Com-miserationis*, impromeritus est. Nemo enim nobis quicquam promeruit nisi CHRISTUS. At hujus Ipsius Ordinationem
ad

ad promerendum antevertit illa DEI Φιλανθρωπία, Joh. 3, 16. Postquam autem Christus ad Generis Humani Redemptionem destinatus est, ut læsæ divinæ Justitiæ satisfaceret, cæteri *gradus gratiæ divinæ*, secundum quam salutem Nobis communicabilem fecit & participationis media constituit, Absoluti non sunt, sed *ad Christum ordinati*. Justificamur enim gratis ipsius gratiâ per Redemptionem, quæ est in Christo; Rom. 3, 24. Item: Elegit Nos in Christo, Eph. 1, 4.

III. Atque hæc ipsa *Gratia Universalis* est, si DEI primam intentionem & voluntatem Antecedentem spectes. Voluit enim DEUS omnes homines salvari & ad agnitionem veritatis venire, 1. Timoth. 2, 4. Quò sensu quidam Veterum Theologorum *Electiōnem Universalem* dici posse concesserunt, sicut D. Thummius explicat in Tract. de Elect. Sin verò consideres ipsam Decretoriâ & infallibilem Fidelium Ordinationem & scriptionem ad vitam æternam, quæ ad *περὶ γνωσιν* & Voluntatem DEI Consequentem pertinet, certum est, gratiam Electionis non amplius promiscuè omnes, sed eos tantum homines attinere, quos Divina *περὶ γνωσις* vidit perseveranter in Christum esse credituros.

IV. Ubi tamen & hoc vel inprimis notandum est, *discretionem* hominum in Electione non ab ipsâ DEI Gratiâ originaliter, sed à *Fide & Infidelitate*, quoad usum & neglectum Mediorum provenire. Nam Fides ut prævisa ab æterno, Ordine prior est gratioso Actu Electionis.

APHORISMUS IV.

Fundamentum & Causa Prædestinationis Impulsiva *προκαταρκτική* est Christus fide apprehensus.

I. Quòd *Christus* sit *Fundamentum* & Basis nostræ *Electiōnis*, manifestum est. Cùm enim Homo peccator per lapsum æternæ damnationis reus factus esset, salvâ justitiâ DEI fieri
non

non potuit, ut salus ei destinaretur. Ideoque opus fuit Mediatore, per quem soluto Iustitiæ divinæ Redemptionis pretio, salus communicabilis redderetur, antequam ea cuiquam ut certo communicanda destinaretur. *Vicissim* postquam DEUS factus jam Proposito κατ' ἐκλογὴν de Modo & Mediis participandi salutem in CHRISTO communicabilem factam, solis illis eam dare voluit, qui in CHRISTUM crederent, sequitur ἀφύκτως sine CHRISTI Mediatoris fide apprehensi intuitu, communicationem salutis nemini destinatam esse.

II. Quatenus igitur Christus ab æterno *περὶ γενωσμένῳ*, 1. Pet. 1, 20. in conspectu DEI apparuit cum Merito suo, Hebr. 9. v. quasi actu à Fidelibus apprehenso; DEOq; Patri quasi præsentem secum stetit futuros per fidem filios ipsius, movit eum, ut illos immutabili Decreto ad salutem æternam prædestinaret. Hinc Christus dicitur Fundamentum salutis, 1. Cor. 3, 11. quippe in quo nobis data est Gratia DEI, 2. Timoth. 1, 9. & in quo tanquam dilecto ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς gratis acceptos nos reddidit & elegit, Eph. 1, 6.

III. *Calviniani* Doctores, licet *Absolutum* Electionis Decretum mordicus teneant, quemadmodum ex Actis & Judiciis Synodi Dordrechtanæ constat: tamen ne expressæ literæ Apostoli refragari videantur, in Explicatione hujus Loci, Christi quoque meminerunt. Considerant autem Eum non ut *Causam Impulsivam*, sed solum ut *Medium Executionis*. Quando igitur scribunt, Nos esse electos per & propter Christum & in Eo, hoc volunt, puta nos, quos vigore Absoluti Beneplaciti non habitâ ratione Christi, tanquam causæ impellentis, vel Fidei tanquam prævisi Organi, decretum erat certò salvandos; redemptos esse per CHRISTUM & propter Eum: Electos autem uno eodemque actu cum Eo, ut essemus in Eo veluti membra in & cum Capite. Jud. Theol. Britann. θ. 2. Helvet. θ. 4. ut sicut CHRISTUS est primogenitus inter Fratres: ita idem sit primo-dilectus & primum-Electus inter Filios DEI.

IV. *Verum* ut hæc strictim redarguamus, Adversarii suâ distinctione,

atione, quâ Christum volunt esse, non causam electionis impulsivam, sed duntaxat medium executionis, Primò Redemptionem Christi, cum Electione Fidelium velut adversa committunt, quasi qui Redemptor constitutus erat, non potuerit præsentatione Meriti, quod præstiturus & actu ipso Fidelibus applicaturus erat, DEUM impellere, ut fideles eligeret, ipsique ut peculium donaret. Deinde illius satisfactionem pro genere humano & cæteras officii partes, quæ ut decreta ad *ἀποθέσειν* spectant adeoque *προορισμὸν* ordine antecedunt, per *ὑπερῶν ἀποθέσειν* Prædestinationi postponunt. Tandem, quando Scriptura nos in Christo electos esse testatur, illi per manifestam *ψευδεγγυησίαν* contextum divellunt, Christum ab electione prorsus excludunt, & non nisi post absolutum decretum, executioni, quam vocant, h. e. Redemptioni tanquam Ministrum præficiunt. Id quod in ignominiam meritissimi Salvatoris redundat.

V. Cum porrò Christum ad *Objectum* referunt, primò non loquuntur cum Scripturâ, nec rectè sentiunt. Confundunt enim Prædestinationem Christi cum electione fidelium. Christus prior prædestinatus est ratione officii ad acquirendam hominibus salutem: Fideles autem interventu Christi per fidem ad ad eundam & possidendam eam electi sunt. Christus innocens ut Redemptor; Homines peccatores, sed tamen ut credentes in illum. Ubi autem diversi sunt fines & diversæ circumstantiæ, ibi diversi etiam sunt actus. Cæteroquevi habet se Patris *εὐδοκία* circa Christum & fideles, ut ita loquar, *ἀπ' ἐνὸς πρὸς ἐν*, & in Christo consistit *πρώτως* & eminenter; in Nos verò fertur per & propter Christum, quatenus per fidem in eo sumus & manemus, ceu dilecti in dilecto, Ephes. 1. v. 6. Quo sanè sensu fatemur CHRISTUM esse primo dilectum & primum-electum, cujus intuitu & interventu nos sumus *κεχαρισμένοι* & ad vitam electi Eph. 1, 6.

VI. Qui denique contendunt nos electos esse *in Christum*, ut essemus in Eo, phrasin Scripturæ, quæ nos dicit electos *in Christo*, ad ingenium suum torquent, atque ita de industriâ sophisticantur & causam impulsivam in Finem commutant, vel potius per assertionem Finis causam impulsivam tollunt. Po-

B

sito

sito namque verum esse, quod aliquando gloriosè futuri simus in CHRISTO, an propterea falsum erit, quod intuitu illius ad vitam & communionem illam cœlestem simus prædestinati?

VII. *Objiciunt* autem communiter nostræ sententiæ Dictum Salvatoris Joh. 3, 16. Ubi Dilectio Patris præponitur Missioni Filii. Sic enim DEUS dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret. Atque hinc concludunt Beneplacitum DEI de salvandis hominibus ordine præcedere Prædestinationem Mediatoris. Inprimis verò *Molinæus* hic reperit, quod pueri in Fabâ, sicut proverbium habet. Quærit enim, utrum DEUS hoc Amore voluerit vitam dare, an homines in morte relinquere? Et tandem; Imò ait, eo ipso, quod per istum amorem misit Filium, satis aperit, se illo amore voluisse vitam homini restitui. cap. 25. §. II. R. autem intelligi hoc loco *primum Amorem divini gradum*, qui dicitur Commiserationis, quâ DEUS misertus Generis humani voluit, ut salvâ suâ Justitiâ salus ei redderetur communicabilis. Antequam enim decerneretur satisfactio Justitiæ suæ, non poterat DEUS velle dare seu Communicare vitam homini peccatori, quippe quod iniquum fuisset. Licet igitur hoc Amore vitam hominis respexerit; tamen eam consideravit saltem ut *reparabilem & communicabilem*, nondum verò ut dandam seu communicandam. Frustra est igitur *Molinæus* cum suo Dilemmate.

VIII. Sunt etiam præterea, qui ab ordine actionum in humanis Consultationibus consveto Argumentum adversus nos depromunt. In omni prudenti deliberatione *prior*, ajunt, *cogitatio est de Fine, posterior de Mediis*. Quod si igitur DEUS in negotio salutis nostræ prudenter egit, necesse est, ut & ipse prius de salvandis hominibus constituerit, quàm de mittendo Salvatore. Illud enim ad Finem spectat, hoc ad Media. Verùm nos R. primò, DEUM nullâ necessitate ad Leges humanarum Actionum obstringi. Deinde hanc addimus Limitationem. Prudens Consultatio primum fertur in finem, sed ut *possibilem*, cum nulla voluntas ordinata & perfecta τὸ ἀδύνατον appetat. Jam verò *salvatio* seu destinatio hominum *peccatorum* ad salutem, *præciso Mediatore* justitiæ divinæ satisfacturo, erat *impossibilis*. Igitur non-

nondum poterat cadere sub intentionem DEI, qui justitiam suam non potest non amare & peccatum odisse. Psal. 45, v. 8. Quare ut salus amissa fieret communicabilis, primùm omnium dispiciendum fuit de Mediatore. Relinquitur igitur CHRISTUM Mediatorem esse Fundamentum & causam Impulsivam Prædestinationis.

APHORISMUS V.

Itaque etiam intuitu præscitæ Fidei perseverantis ut Instrumenti, quo Meritum CHRISTI apprehenditur & tenetur, facta est Electio.

I. Quando *Fides Instrumentalis Causa Electionis* salutatur, non ea est verborum sententia, ac si vel DEUS, vel Nos fide ut Instrumento ad faciendum Prædestinationis decretum usi essemus; sed hoc dicitur, quod DEUS, cum præviderit Fidem salutis consequendæ Mediū *ληπτικόν*, vigore Ordinis abs Se constituti, actu & finaliter exercitum iri, illius tanquam conditionis actu præstitæ intuitu decreverit salvare *ἕως μέλλοντος πιστεύειν* 1. Tim. 1, 16. Huc enim spectat *περὶ γνώσεως* de quâ S. Petrus loquitur 1. Epist. 1, 2.

II. Protestamur enim hoc ipso, Nos fidem hoc loco considerare non ratione *dignitatis* suæ ut Meritum, sed ratione *χέσεως* ut Organum apprehendens CHRISTUM Redemptorem. Nam Fidem nec ut *qualitas* est, nec ut *Opus* est, admittimus ad justificationem, nedum ad Electionem; sed duntaxat, ut est *Medium ἀντιληπτικόν* Meriti Dominici. Ideò dicimus nos electos esse non propter sed per fidem, sive secundum fidem prævisam, *καὶ περὶ γνώσεως* juxta præscitum fidei *perseverantis*. Cum enim quidam sint *περὶ σκαιεργί*, qui à fide tandem rursus deficiunt Matth. 13, 21. Scriptura sacra solos illos Electos pronunciat, qui in vera fide usque ad finem perseverant Matth. 10, 22.

III. Cum autem alia sit quodammodò ratio Justificationis, alia Electionis, quam tamen utramq; Fides ingreditur, non satis liquere videtur, An eodem respectu hanc & illam ingrediatur. Respondemus autem Fidem sub *notione Instrumenti* utrobique reperiri, in justificatione quidem ut actu *exercitum*, in Electione

verò ut *prævisam*. Quos enim DEUS præscivit, hos etiam prædestinavit Rom. 8, 29. Præscivit autem τὰς μέλλοντας πιστεύειν 1. Tim. 1, 16. Eapropter dicitur nos elegisse ἐν πίστει ἡς ἀληθείας 2. Thess. 2, 13. Et prædestinati vocantur ἐκλεκτοὶ καὶ προγνωσιν τῶ Θεῷ πατρὸς. 1. Pet. 1, 2.

IV. Hic *Calvini Sectatores*, licet *Fidem* recipiant ut *Medium* justificationis & salvationis; Eam tamen *excludunt* ut *Causam Electionis* non solum *Mériteriam* (ubi nos non feriunt) sed etiam *Objectivè Impulsivam*. Cumque ipsi statuunt DEUM impiorum infidelitatem & impœnitentiam, ob quam eos reprobarit, prævidisse, mirum est Eum non perinde observasse fidem piorum, per quam eos salvos facere decreverit; non secus ac si sollicitè magis & attentius cogitarit de hominibus damnandis quam salvandis, contra sanctissimam ipsius obtestationem: Vivo Ego, Nolo mortem peccatoris Ezech. 33.

V. *Argumenta*, quæ nobis objiciunt, omnia recoquere non patitur institutum. Præcipuum est, quo contendunt *Fidem* esse fructum *Electionis*, ac propterea *Causam Impulsivam* esse non posse. Syllogismus ita potest formari:

Nullus effectus Prædestinationis est illius Causa impulsiva.

Fides est effectus Prædestinationis. Ergò.

Minorem probant *Dictis Scripturæ & Testimonio Lutheri.*

VI. R. autem ad *Majorem* per *Distinctionem*. Nam unus & idem effectus considerari potest bifariam, videlicet 1. quatenus est in potestate & intentione Agentis, 2. quatenus actu existit. *Priori modo* licet nondum existat; quia tamen existere debet & potest & prout extiturus est, præbet intellectui cognoscenti sui notitiam, secundum quam si quid Agens ulterius decernat, ille pro effectum *Causa impulsiva* salutatur. *Posteriori verò modo*, quatenus ex actuali Causarum juxta illam προγνωσιν dispositarum exercitio emergit & actu existit, etià Effectus appellatur. Et quis Eruditorum ignorat, quædam esse τῶν ἀλλήλων αἰτια, sicut Philosophus docet l. 2. Phys. Aufc. cap. 3.

VII. Sed nec *Minor* recto stat talo. Superiùs enim dictum est, *Propositum DEI* à προορισμῶ distingvi ut prius à posteriori & *Normam* à *Normato*. Quæ igitur illius effecta sunt per se ac directè

directè Prædestinationi non debent adscribi. Jam verò constat Fidem esse ex Auditu Rom. 10. sive ex prædicatione Evangelii, quæ directè ad *πρόθεσιν* pertinet. Quare Fides non est Effectus Prædestinationis. Et licet Fides in actu posterior sit Prædestinatione, quæ ab æterno facta est: tamen Effectus non est, sed Consequens quoad Ordinem existendi. Nec hoc loco consideratur ratione sui actûs, sed ratione intuitûs divini.

VIII. Ex Dictis palmarium est, quod extat Act. 13, 48. *Ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον.* Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam. Quærenti enim cur ex quàm plurimis Auditoribus aliqui tantùm crediderint, responsurus Apostolus, Restrictionis & Particularitatis fontem ostendit fuisse divinam Ordinationem, subinnuens plures fuisse credituros si plures fuissent ordinati. Ergò concludunt, cur hic credat non ille, causam esse DEI ordinationem. Urgent igitur quàm maximè particulam Exclisivam *ὅσοι* quotquot (omnes & soli illi) Tum Præordinationem, quàm in *προδιορισμῶ* Temporis Plusquamperfecti quærent & inde eliciunt Fidei ab ordinatione divinâ dependentiam.

IX. Verùm planissima est Responsio, Propositionem Lucæ non esse Reduplicativam Cause, sed specificativam Subjecti seu Historicam, in qua Fides quæ se eo tempore actu exeruit, confertur cum æternâ Prædestinatione. Crediderunt (*ἐχούσι, ἀλλ' ὅσοι non quia sed*) qui vel quot *τεταγμένοι ἦσαν* juxta Ordinem divinitus constitutum destinati erant ad vitam. Nam Titulus *τεταγμένων* disertè involvit ordinem Mediorum salutis, quo & CHRISTUS continetur & Fides. Jam quia Prædestinatio facta est *καὶ πρόγνωσιν*, sensus verborum simplicissimus erit iste: Crediderunt illi, quos DEUS ordinem salutis observaturos esse præviderat, & illius intuitu ad vitam æternam destinârat.

X. Damus igitur *τεταγμένους* esse Prædestinatos, sed cum hac verissimâ limitatione secundum ordinem Mediorum salutis, sive ut Apostolus loquitur *καὶ πρόθεσιν* Eph. 1, 11. & *καὶ πρόγνωσιν τῆ πατρὸς*, 1. Pet. 1, 2. Unde tamen non sequitur Fidem à Prædestinatione dependere, aut hanc discretionis fontem esse; sed hoc

solum sequitur, *Actuale Exercitium fidei respondere præscientiæ & Proposito DEI*, juxta quæ DEUS credituros ad vitam destinavit, inobedientes autem & Spiritui Sancto obicem ponentes ex justo judicio in cæcitate cordis relinquere constituit. Igitur part. ὅροι non est Exclusiva aut Causalis, sed Relativa & Specificativa: nec ullibi dicitur, quod nulli ex reliquis Auditoribus postmodum amplius accesserint, quin potius credibile est plures passim emollitos & conversos esse.

XI. *Cætera Dicta*, quia vel non dicunt nos electos esse ad Fidem sed ad sanctitatē Eph. 1, 5. Vel agunt de Electione ad certū Munus, non ad salutem 1. Cor. 7, 25. Act. 22, 14. Vel nostram Orthodoxorum Thesin ultro confirmant, ἀπερὸς διουσίως ab Adversariis pro seqviore opinione adducuntur. De Testimonio Lutheri supra Aph. 1. §. 2. dictum est; ubi vide.

XII. Quod reliquum est, *affanie* sunt, quando stomachantur, ex doctrinā de prævisā fide seqvi, *Nos priores elegisse Deum*, adeoq; habere quod ipsi respondere possimus, contra disertum Salvatoris & Apostoli pronunciatum Joh. 15, 19. Rom. 9, 20. Nam Fidem nos nec omni nec aliquo modo viribus Liberi Arbitrii adscribimus, sed *in solidum Gratia* divinæ vocationis acceptam ferimus. Nec DEUS in prævisione ejus attendit illius dignitatem, sed *Objectum apprehensum* juxta suum ipsius Ordinem, quo in æterno suo Proposito decrevit salvare credentes. *Vim enim impellendi Deum ad prædestinandum fideles, Fides non habet à se*, sed ab ordine Mediorum salutis divinitus constituto. Breviter: Fides in potentia Objectiva ut Ens infallibiliter futurum movet DEI scientiam; sed ut instrumentum ab ipso requisitum & approbatum, ratione sui Objecti seu CHRISTI quem tenet, & vigore facti Ordinis impellit DEI voluntatem ad destinationem salutis certo communicandæ. Quoniam igitur Fides hoc ipsum quod movet, ab ordine DEI habet, ἐξ ἑστίαν eligendi in solidum, DEO relinquit. Cumque non propter sed per & secundum prævisam Fidem simus electi, nihil est quamobrem cum DEO exostulemus aut ipsi procaciter respondeamus. Cadit itaque hoc etiam Argumentū & stat Thesis, *Intuitu præscita Fidei facta esse Electionem.*

APHO-

APHORISMUS VI.

Prædestinati sunt autem Homines, non omnes sed pauci, & ii quidem in verâ fide ad finem vitæ perseverantes.

I. Ad Objectum Prædestinationis non pertinent *Angeli, sed soli homines*. Illis enim non perinde atque his Redemptor datus, aut Evangelium de remissione peccatorum annunciatum est. Licet autem & Angeli ἐκλεκτοὶ vocentur 1. Tim. 5, 21. Tamen illud non de Prædestinationis decreto, sed de statu gloriæ solum accipiendum est. Ideo illi nullibi dicuntur *electi in CHRISTO*, quod tamen *Polanus* satis audacter, sed perperam asserit in Syntag. l. 4. c. 8. sed simpliciter electi seu dilecti à DEO, atque in delitiis habitii & cœlesti gloriâ induti.

II. Cæterum licet Electio facta sit ex *Massâ* Generis Humani peccatis promiscuè obnoxia; tamen non omnes homines prædestinati sunt, sed quidam duntaxat facti secundum fidem delectu. Multi namque vocati, sed pauci electi sunt Matth. 22, 14. Non igitur admittenda est *Huberi* opinio de Universali hominum Electione ἀκριβῶς sic dicta. Semper enim distinguendum est Decretum *Consequens* ab *Antecedente*. In hoc sane DEUS neminem præteriit; Omnes vult salvari & ad agnitionem veritatis venire. Non vult ullos perire 2. Pet. 3, 9. At in illo fit restrictio secundum actualem fidem & infidelitatem. Quicumque enim crediderit & baptisatus fuerit, *salvus erit*: Qui verò non crediderit, *condemnabitur*, Marc. 16, 16.

III. Cur verò non omnes, sed pauci quidam credant, causa non est quærenda in *Arcano DEI Beneplacito*, sed in hominibus ipsis, qui cum per gratiam vocationis & quoad oblationem virium Spiritualium in Verbo possent & deberent credere, ipsi per affectatam malitiam *nolunt*, & Spiritui Sancto efficaciter operaturo obicem ponunt. DEUS enim Filium suum Redemptorem dedit toti Mundo, & ad ejus agnitionem vocari curavit Universos homines Rom. 10, 18, ὅτι φωνὴν πάντων τῆν γῆν ἤκουσεν. Act. 17. At
pauci

pauci obedierunt Evangelio, Rom. 10, 16. Quod quia Deus ab æterno prævidit, mirum non est, eum illos paucos saltem prædestinasse, quos ordinem suum observaturos esse præcognovit.

APHORISMUS VII.

Regula, secundum quam facta est Prædestinatio, est *πρόθεσις* seu Propositum & decretum DEI Evangelicum de procurandis Mediis ad Salutem necessariis, & salvandis omnibus in Christum perseveranter credituris, Joh. 3, 16.

I. Quod hoc DEI Propositum sit Electionis Norma, toties testatur Scriptura, quoties *προθεσις* & Prædestinationem *πρόθεσιν* factam esse asseverat, Eph. 1, 11. Rom. 8, 28. 2. Tim. 1, 9. illudque in certâ τάξει consistere titulus τῶν τελαγμῶν luculenter ostendit.

II. Versatur autem illud cùm circa *salutis Media*, tum circa *homines eligendos*. Inter *Media* primum est *ἰλαστικὸν* seu Universale Christi meritum, quo ille pro omnibus mortuus, 2. Cor. 5, 14. dedit semetipsum *ἀντίλυτρον* pro omnibus, 1. Tim. 2, 6. factus propitiatio pro nostris & totius Mundi peccatis, 1. Joh. 2, 2. Alterum est *δοτικὸν*, offerens Christum cum beneficiis suis & supeditans vires illum recipiendi; Id quod præstat *Ministerium Spiritus Sancti*, qui per verbum & sacramenta fidem efficit ubi & quando visum est DEO, nimirum in iis qui audiunt Evangelium. Aug. Conf. Art. 5. Tertium est *ἀντιληπτικὸν* seu recipiens Beneficia in verbo Evangelii & Sacramentis oblata, nim. *Fides in Christum* quæ per auditum verbi & Sacramentorum usum virtute Spiritus Sancti hominibus ingeneratur. Est namque Evangelium verbum fidei, Rom. 10, 8. seu efficax Medium generandi, fovendi & conservandi fidem in Christum.

III. Deinde Propositum DEI etiam & vel in primis *ipsas personas eligendas* concernit. Propter homines enim ut possent credere, destinavit Deus media generandæ fidei necessaria. Quia verò salutem participari voluit sub tali conditione, quam ho-

ho-

homo gratiá DEI præventus & adjutus debebat quidem præstare, sed tamen etiam liberè poterat negligere, ideò fecit *πρόθεσιν καὶ ἐκλογὴν* Rom. 9, 11. cum *discretionem fidelium & infidelium*, ut qui crediderit salvetur, qui verò non crediderit, damnetur, Marc. 16. Nam qui credit in Filium DEI, non condemnatur, qui verò non credit, jam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii DEI, Joh. 3, 18.

IV. Quod verò ipsam Decretoriam Credentium ad vitam æternam ordinationem attinet, supervenit & *πρόγνωσις*, per quam causæ salutis in Proposito destinatæ velut actu ab hoc vel illo exercitæ, vel neglectæ, in mente Dei præsentantur, eúmque movent sui obtutu, ut salutem, quam *omnibus promiscuè acceptabilem* obtulerat, *καὶ ἐκλογὴν* & cum discretionem fidelium & infidelium, *solis perseveranter crediturum* communicandam *destinet*, eò quod solos illos prævideat, Ordinem à se constitutum observaturos esse. Nihil igitur *πρόγνωσις* sive in causis, sive in ordine & modo agendi mutat, sed earum saltem eventum anticipat atque ita Deo occasionem præbet *sententiam generalem certis personis applicandi*; hoc secundum Scripturas Ordine.

Q. Perseveranter crediturus est in Christum Salvatorem mundi, electus esto ad salutem præ illis, qui non sunt credituri. *Propositum.*

Atqui Paulus, Petrus, Johannes, *perseveranter crediturus est.* *πρόγνωσις.*

Igitur Paulus, Petrus, Joh. *electus esto ad salutem.* *Prædestinatio.*

V. Præterea, quoniam Adversarii in *Executionis* titulo fallaciam quærunt, sciendum est aliter se habere *Executionem Propositi*, aliter item *Executionem* ipsius *Prædestinationis*. Illa respicit *Executionem* Mediorum salutis & locum habet ante finem vitæ; Hæc verò *πρόγνωσις* attinet & fit circa & post finem vitæ: Qui namque in verâ fide Christi è vivis discedit, a modò *Electio*nis eventu fruitur, sicut Lazaro evenit, Luc. 16. Idque singulis credentibus singulatim contingit. *Solennis autem & plenaria Prædestinationis Executionis* tum instituetur, quando Filius hominis Angelos suos mittet, ut congregent *Electos* à quatuor ventis, Matth. 24, 31. & statuunt eos à dextris ipsius, c. 25, 33. Jam equidem *electi* sumus quoad decretum & paternam sollicitudinem DEI circa nos

C

& no-

& nostram salutem: Veruntamen nondum apparuit quid futuri simus, 1. Joh. 3, 2. Rom. 8, 24. Igitur quod ad Propositum spectat, non est huc impertinenter pertrahendum.

APHORISMUS VIII.

Finis Electionis proximus est *υιοθεσία* Adoptio in filios & salus fidelium; Ultimus verò est laus gloriosæ gratiæ DEI.

I. De *Adoptione Filiorum* loquitur Apostolus Eph. 1, 5. Prædestinavit nos *εις υιοθεσίαν* in Adoptionem filiorum per Jesum Christum. Est autem *Adoptio* Filiorum *εξουσία potestas* Joh. 1, 12. seu *dignitas* piorum conjuncta cum *jure hereditandi* vitam æternam, juxta illud: Quod si filii & hæredes: hæredes autem DEI & cohæredes Christi, Rom. 8, 18. Ab æterno igitur inter Filios DEI scripti sunt omnes Electi, ut assignato hæreditatis jure suo tempore infallibiliter perfruantur.

II. Ideò *Salus* in Electione spectatur non ut adhuc est in potestate causarum, sed *ut certo præscita* & juxta illam præscientiam ab æterno *preparata hereditas*, sicut apparet ex *ωροσφωνήσει*, quâ Salvator Electos in die Pancritico excepturus esse dicitur: Venite Benedicti Patris mei, *κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν*, velut hæreditatem occupate regnum paratum vobis à constitutione mundi, Matth. 25, 34.

III. *Ultimus* autem *Finis* est *Laus gloriosa Gratia* ipsius, sicut est Eph. 1, 6. *εις ἑπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ*. Quæ verò sic gloriosa & magna illa DEI Gratia, explicat Apostolus Rom. 5, 8. Commendat, inquit, Deus charitatem suam erga nos, quòd cum adhuc essemus peccatores Christus pro nobis mortuus est. Confer Eph. 2, 7. Hanc gloriosam suam gratiam vult DEUS agnosci & prædicari & propterea nos prædestinavit, ut eam sine intermissione celebremus.

APHORISMUS IX.

Inter Proprietates Prædestinatorum prima est Paucitas.

I. Hac.

I. Haecenus *Prædestinatio* ferè in *Abstracto* considerata est: Quæ jam sequuntur commodius de *Concreto* videntur dici & disputari posse. *Prima* igitur Proprietas Electorum est *Paucitas*, quam probat illud Salvatoris: Multi sunt vocati: *Pauci* verò electi, Matth. 22, 14. quod supra notavimus adversus Huberum. Intelligenda est autem *Paucitas* non vaga & indefinita, sed quoad numerum & personas certa ac definita. Non enim tenet DEUS tantum, quot sint Centuriæ aut Myriades Electorum; verum etiam *Quinam in Individuo* sint illi ad vitam Prædestinati, juxta pronunciatum Apostoli: Solidum stat fundamentum Dei, habens hoc signaculum: *Novit Dominus, qui sint sui*, 2. Tim. 2, 19.

II. Cæterum *Fundamentum* hujus *Paucitatis* non est absoluta & extra Christum concepta quædam DEI *εὐδοκία*, quam nec *Justitia* ejus admittere potuit, nec *Scriptura* nobis revelavit; sed *Fides* & illius prævisio.

*Omnes enim & soli perseveranter credentes sunt Electi,
Sed pauci sunt perseveranter credentes.
Ergo pauci sunt Electi.*

III. An verò *Paucitas* illa tam sit definita ut nec *extendi* nec *contrahi* queat, cognata est *Quæstio*. Potest autem illa considerari vel ratione *Mediorum*, in quorum potestate *Eventus* consistit, & hinc rectè respondetur, Augeri posse Electorum numerum, cum causæ salutis multo latius pateant eventum. Vel ratione *divinae præscientiæ*, quæ falli nequit, ubi certum est, non augeri illum præscitum numerum, non quia per se non potuerit augeri, sed quia Deus infallibiliter prævidit tot & non plures perseveranter credituros esse.

APHORISMUS X.

Altera Proprietas Electorum est *Perseverantia in fide*.

I. *Perseverantiam* dicimus non ratione *continuae Durationis* præcisè, sed quoad præsentiam *Fidei* circa *finem vite*. Quanquam enim optandum erat, fidem à primo *Regenerationis* momento nunquam fathiscere: tamen contingere potest & solet, ut Electi

sub titulo Renatorum præcisè considerati per peccata conscientiam vastantia *μεταξὺ τῶν βίβ* Spiritum Sanctum excutiant, gratiâ Dei prorsus excidant, & totalem fidei jacturam faciant. Ideoque Electis finalem perseverantiam præcipuè tribuimus, per quam fieri nequeat, ut sub finem vel gratiæ vel salutis naufragium patiantur.

II. *Labi Electos* quâ Renati sunt in peccata conscientiam vastantia, iisque fidei jacturam facere posse, prolixè probant tot defectuum *Exprobrationes*, Jud. 2, 2. Jos. 1, 2. Gal. 3, 1. tot *commonestiones* ad cavendum à salutis naufragio 1. Cor. 10, 12. Apoc. 3, 11. tot Lapforum *ad pœnitentiam invitationes* Ezech. 18, 30. & tota denique *Renatorum conditio*, quâ adhuc ex parte carnales expositi sunt variis veteris Adami illicitis, mundi scandalis & Diaboli suggestionibus ac cribrationibus, quibus possunt supplantari. Accedunt *Exempla* Davidis homicidæ & adulteri, Salomonis Idololatræ, Petri abnegantis Dominum & aliorum, qui gratiâ exciderunt cum Galatis cap. 5, 4. & *περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν* circa fidem naufragium fecerunt, 1. Tim. 1, 19. Et quid aliud volunt Parabolæ de ovis perditâ, drachmâ amissâ & filio decoctore, Luc. 15, 3. Itemque de *Adultera* in gratiam recipiendâ Hos. 2, 14. nisi quòd Renati fidem possint penitus amittere, sed tamen per seriam pœnitentiam cum DEO in gratiam redire, id quod de electis certum est.

Hinc *Argumentum*:

III. Quicumque præmonentur ne excidant gratiâ, itémque defectiois, idololatrias, adulterii, homicidii ut filii mortis arguantur & circa fidem naufragium fecisse perhibentur, nec non ad pœnitentiam denuò invitantur, illi possunt Spiritum S. excutere & fidem totaliter amittere. Sed quidam Electorum ita sunt comparati. Ergò.

Major probatur. Quia ejusmodi Præmonitio est provida periculi possibilis & imminentis amolitio. Impossibilia namque non cadunt sub deliberationem aut svasionem. Adhæc Apostasia & Idololatria directè negant Fidem in prima Tabula Decalogi requisitam. Adulterium verò & homicidium ex membris Christi faciunt membra scorti & arma injustitiæ, ex templo Spiritus Sancti

Sancti faciunt cloacam Satanæ 1. Cor. 6, 15. *Minor* patet ex §. 2. & Confessione *Beza*, qui in Colloquio Mompelgart. vi veritatis victus dixit *Davidem Adulterum periturum fuisse*, nisi resipuisset. Nec dissimulant hoc patres Synodales, quando scribunt electos enormibus peccatis *reatum mortis* incurrere Cap. V. pag. 370. th. 5. Stat igitur Conclusio, Electos in tempore, fide & gratiâ DEI totaliter excidere posse.

IV. Cæterum *Calviniani*, qui Conclusioni nostræ communiter contradicunt, sicut videre est in Actis Dordrechtanis & Jud. Ext. Art. 5. ut vim argumenti eludant, *distingunt* modò inter gradus fidei & concessio quod vigor fidei deficiat, contendunt relinqui fidem exiguam debilem, & *mortuam simillimam* Jud. Embd. th. 23. modo inter fidem & sensum fidei ac gratiæ, sicut *Zeelandi* judicant, Fideles quando in gravia peccata incidunt pati *sensus gratiæ divinæ deliquium*, th. 1. modò inter Actum & Habitum seu radicem fidei, ubi posito & confesso, actum fiduciam & consolationem non tantum secundum plus & minus, sed & totaliter, non finaliter tamen intercidere; negant Habitum, Semen, Radicem, Spiritum fidei posse deperdi aut unctionem divinam posse non manere in fidelibus, quemadmodum Synodus Geldrica loqui amat §. 3.

V. *Verum* quis non videt has distinctiones neque inter se convenire, neque ad rem quadrare? *Prima otiosa est.* Quia Fides non justificat aut salvat quatenus fortis est vel languida, sed quatenus in promissione Evangelii justitiam Christi apprehendit. Jam verò tantum abest, ut qui contra conscientiam peccat, Christi justitiam apprehendat, ut potius Dominum denuò crucifigat. Igitur qui contra conscientiam peccat, planè nullam habet fidem salvificam, ne languidam quidem. Satius igitur fecissent Embdani, si fidem, quam in tam gravibus peccatis superstitem esse credunt, non mortuæ simillimam, sed *Cadaver Fidei* indigitassent. Nam *Fides vera non nisi in contrito corde reperitur.*

VI. Altera *Zeelandorum* Distinctio, inter fidem & sensum ejus, neque eadem est cum priore, neque ad rem quicquam facit.

C 3

Non

Non enim de Sensu Fidei ac Gratiae Quæstio est, sed de ipsâ Fide; quæ si iustitiam Christi amplectitur esse & (in Articulo Justif) vivere Gal. 2, 20. sin minus deesse & defecisse censetur. Quare qui in peccata contra conscientiam incidunt, non patiuntur solum deliquium sensus gratiæ aut fidei; sed ipsa fide & gratiâ Dei prorsus evacuantur, I Joh. 3, 8.

VII. Tandem Geldri distinguunt finem secundum Actum & Habitum. Ubi nos ne de Terminorum explicatione multum laboremus, tatemur fidem considerari posse modò quoad vires credendi ut *χαρισμα* Spiritus Sancti, modò etiam quoad virium illarum Exercitium, quo se pro diversitate Objectorum diversimodè exerit. Constat autem formalem & præcipuam Fidei *ἐπέγεια* in Articulo Justificationis esse apprehensionem Iustitiæ Christi ad remissionem peccatorum. Quæritur igitur, An sublatâ illâ Formali Fidei *ἐπέγεια* vera & viva fides relinquitur? Hoc Adversarii quidem affirmant; sed nos negamus. Nam vera fides justificat. At habitus fidei, quem illi fingunt, non justificat. Non enim apprehendit Christum, extra quem tamen nulla iustitia, nulla salus. In quantum igitur otiosa est Fides, mortua est, nulla est. Atque huc referre licet, quod Salvator ait: Habenti dabitur. Qui verò non habet, auferetur ab illo, quod putat se habere, Matth. 13, 12. Luc 8, 18.

VIII. Nec moramur Rationes, quas Adversarii pro suâ Opini-
one defendenda petunt à DEI fœderali promissione, Christi satisfactione, Intercessione & defensione, nec non à Spiritus Sancti oblatione, Itémque à fidei fideliumque indole & privilegio. Hæc enim omnia cum certâ conditione & limitatione accipienda sunt.

IX. Quod Promissiones attinet de firmo & æterno fœdere, Gen. 17. Jer. 32. verissimæ sunt illæ sub conditione Ordinis & Obedientiæ, adè ut nisi præstanda præstentur, fœdus irritum reddi possit, id quod in eodem cap. 17. Gen. v. 14. disertè significatur. Sic de Pharisæis dicitur, quod *ἠθέτησαν* irritum reddiderint Dei consilium, Luc. 7, 30. Irritæ verò sunt promissiones non ex parte Dei,
aut

aut quoad formam ipsarum, sed *ex parte hominum* quoad conditionem præstandam, quæ non præstatur & quoad eventum rerum promissarum, qui propter neglectum requisitæ conditionis intercidit, 2. Chron. 15, 2. Eant jam Geldri & excipiant, nullam hic excogitari posse conditionem. Frivolum enim est, quod addunt, Media, per quæ DEUS facit, quæ vult facere, non esse Conditionem, nec usum eorum haberi nisi Dei dono. Nam Media illa si non sunt formaliter ipse Ordo & Conditio, sunt tamen Materia illius. Adhæc media sunt non solum *δοτικὰ* per quæ Deus agit, sed etiam *ληπτικὰ*, per quæ nos Dei Beneficia accipimus. Ambo quidem à Deo quoad originem, sed tamen quoad agendi modum & relationem, Subjectis ut ita dicam distincta. Nam DEUS quidem Gratiam suam per Verbum & Sacramenta offert & confert: At non item ipse credit. Posito igitur Deum ratione *δόσεως* semper agere quod suum est: tamen penes homines est vires concessas exercere, & agere quod ipsis incumbit. Sed nec *δοτικὰ* Media tam planè sine omni conditione vel dispensantur vel operantur, quin per ingratitude, & Noluntatem hominum possint impediri, sicut Christus testatur Matth. 23, 37. & S. Paulus Act. 13, 46.

X. *Alterum Argumentum ab Actibus Christi* Officialibus peti- tum similiter est inconsequens. Nam primùm *Satisfactio* Domini comprehendit Universum Mundum, 1. Joh. 2, 2. adeoque latius patet quam Titulus Electorum. Deindè *Intercessio* Christi vel *generalis* est & omnes homines concernit, vel *specialis*, quæ solos fideles & electos attinet. Illa rem non conficit: Hæc verò quia conditionem observandi ordinis, Joh. 17, 20. includit & præcipuè finem vitæ spectat, causam Adversariorum non juvat. Sicut enim dictum est, Ordinem divinitus præscriptum posse negligi: ita de finali fide Electorum non est Controversia. Tandem *Defensio* promissa est piis & fidelibus sive ovibus Christi, quatenus & quam diu tales sunt Ezech. 34, 31. Et directæ est vel contra vim externam, quæ de re Christus loquitur, Johan. 10, 28. & sanctus Paulus Rom. 8, 35. vel contra peccatum &

& naufragium fidei ac salutis, sed hoc per certa media, quæ qui negligit, nihil habet, quod sibi de conceptâ Defensione amplius polliceatur.

XI. Porro *Obsignatio fidelium* per Spiritum Sanctum tanquam Arrhabonem hæreditatis nostræ, Eph. 1, 14. involvit *re-promissionem* ex alterâ parte præstandam. Est enim hæc Similitudo à *desponsatione* conjugali petita, Hoseæ 2, 19. quæ mutuâ Sponsorum promissione contrahitur eâ Lege, ut si una pars non seruet promissa, nec altera ad servandum teneatur. Nam *πορ-veia* solvit conjugium, Matth. 5, 32. Hos. 2, 2. Igitur & hæc spiritualis Obsignatio conditionata est, ita ut violatâ repromissione *Spiritus Sanctus*, per quem obsignati sumus, non solùm contristetur, Ephes. 4, 30. sed etiam prorsus *inimicus reddatur* Jesa. 63, 10.

XII. Tandem nec *indoles Fidei Adversariis* patrocinator; nec *Fidelium conditio*, per quam sunt Filii, semper est uniusmodi. Quando enim peccata faciunt, non sunt ex DEO, sed ex Diabolo, 1. Johan. 3, 8. non sunt Filii DEI sed mortis, 2. Samuel. 12, 7. Itaque nec fidem habent amplius salvificam, quippe quæ cum peccatis contra Conscientiam non potest consistere. Fides enim & *ὑποθεσία* pendent ab Ordine & usu Mediorum, à quibus etiam conservantur. Quisquis igitur vim veræ pietatis per enormia peccata abnegat, nihil retinet nisi *Μόρφωσιν εὐσεβείας* seu *larvam pietati*, 2. Tim. 3, 5.

XIII. Nos igitur certi, quod Electi enormiter labi queant, eam Fidei *Perseverantiam* quæ est *circa finem* vitæ illis tribuimus, secuti Scripturam quæ salutem distributum iri commemorat illis, qui fideles sunt usque ad mortem Apoc. 2, 10. Matth. 10, 22. Nam & *Interrupta fides*, modò in fine præsens sit, vocatur *μὴ ἐκλείψασα* non deficiens, Luc. 22, 32.

XIV. Atque huc admittimus *Specialem Dei Providentiam*, *Christi Intercessionem* ac Defensionem, nec non *Spiritus Sancti gratiosam Inhabitationem* & totum illius Sacrosanctum *ministerium* tanquam ordinaria media. Requiritur verò etiam ex parte fidelium assiduum *Scripturarum scrutinium*, *Preces devotas*, studium
bo-

bonæ Conscientiæ & quotidianam pœnitentiã, per quam, sicubi lapsi fuerint, semper resurgant & occulta quoque peccata deprecantur. Ita namq; futurũ est, ut vocatio atq; *Electio nostra firma efficiatur*, 2. Pet. 1. 10.

APHORISMUS XI.

Tertia Proprietas Electorum est Certitudo Electionis.

I. Non est dubium, Deum infallibiliter nosse, qui sint sui 2. Tim. 2, 19. cumq; nobis Depositum Salutis nostræ fideliter custodire, 2. Tim. 1, 12. Veruntamen *An ipsi Electi de suã Electione in hac vita certiores esse queant*, hinc inde disputatur. Pontificii contendunt, non nisi ex speciali Revelatione sciri posse, quos Deus sibi elegerit. Conc. Trid. Sess. 6. cap 12. *Docent igitur, semper dubitandum esse, donec in novissimo die patefiat, quis sit verè prædestinatus.* Merito autem accidit eis hæc *fluctuatio*, quandoquidem decretum Electionis contra Scripturam *Legale* faciunt, contententes Prædestinationem secundum prævisa merita factã esse. *Tum*. Fidem ut Qualitatẽ & Opus considerant & Sacramentorum efficaciam non ex Institutione Domini sed ex Intentione Ministri & Utentium dispositione censent & suspendunt.

II. Licet enim concedant, in genere non esse dubitandum de promissis Dei, de merito Christi, & virtute Sacramentorum; tamen dum in *applicatione* propriam *Indispositionem* respicere jubent, statuunt neminem certò scire posse, an & ipse habeat omnia ad justitiam & salutem comparandam necessaria. Vid. Chemn. in Exam. Conc. Trid. Sess. 6. Ubi sanè & nos, si ex ejusmodi impossibilitibus & lubricis Hypothesibus de Prædestinatione judicandum foret, non solùm dubitandum, sed planè desperandum esse concederemus. *Faceffat igitur Desperabunda hæc Theologia.*

III. Calviniani freti *Peremptoriã suã Electione* Jud. Zeeland. Art. V. magnam profitentur Electionis certitudinem, sed quæ tamen revera incerta esse deprehenditur, si penitiùs examinetur. Allegant enim primò *Fidem*, quæ nitatur verbo Dei revelato & Christo Redemptore: sed illam ipsam *Fidem* ex electionis Decreto tollunt & per suas Hypotheses evacuant. *Illam namque demum vera fides est, quã quis in Evangelio meritum Christi ad universos pertinens, speciali applicatione pro se amplectitur.* Jam verò nullus Calvinista, quã talis hoc potest præstare. Ergò

D

Fides

Fides, quam illi allegant, non est vera, & per C. neminem Electionis suæ certum facere potest.

Minor est manifesta. Docent enim meritum Christi non pertinere ad universos, sed tantum ad paucos homines. Tum Evangelium licet pluribus annuntietur, tamē de intentione Dei nō in omnibus efficaciter operari. Quinimō nec omnes, quibus Christus prædicatur, teneri credere, meritum ipsius ad se pertinere. Molin. Anat. c. 29. §. 14. Cum autē nemo eorum ullo idoneo Argumento certus sit, se inter paucos illos reperiri, sequitur neminem illorum de suā Electione certū esse posse.

IV. Deinde adducunt fructus Fidei seu Bona Opera, ut sunt Deum amare, in mandatis ejus ambulare, peccata odisse, &c. Verum quia de Operum bonitate non potest ferri constans judicium, nisi constiterit de veritate fidei, certum est, nisi Calviniani fidem suam secundum Scripturas in Christo tanquam universali Redemptore fundaverint, Bona ipsorum Opera pro deciduis foliis habitum iri.

V. Deniq; præcipuum fundamentū, cui vel soli inniti posse sibi videntur, dicunt esse testimonium internum Spiritus S. & sensum gratiæ divinæ. Sed R. Spiritus Sanctus ordinariē nihil agit nisi per Verbum prædicatum, nec aliud quicquam intrinsecus testatur, nisi quod forinsecus de Christo prædicatur. Quicumque igitur ex Testimonio Spiritus S. interno de suā salute vult certior fieri, necesse est, ut prius ex verbo prædicato certō cognoscat, Christum ad se quoq; in Individuo pertinere. Quod nisi cognoverit, frustra peculiarē raptum à Spiritu S. expectat. Atqui nemo Calvinianorum ex Verbo prædicato certō cognoscit Christum ad se quoq; in Individuo pertinere. Igitur nec ex testimonio Spiritus S. interno de suā salute potest certior fieri. *Minor* constat, quia in Sacris non agnoscit universales Promissiones de universali Redemptore mundi; singulares verō non invenit, quæ ad se in specie spectarent. Superest Raptus Euthusiasticus, cui quantum quisq; velit, tribuat per nos e quidem licebit.

VI. Sed nec Sensus gratiæ divinæ est ἀφύκτων Electionis Argumentum; cum quia nonnulli reprobatorum tali sensu Hebr. 6, 4. & gaudio spirituali ad tempus fruuntur, Luc. 8 13. Tum quia in gravioribus Tentationum paroxysmis sensus ejusmodi potest & solet deficere, sicut Regius Psalteres conqueritur: Dixi in consternatione meā, abscissus sum à conspectu oculorū tuorum Ps. 31, 23. Adde quod ipsi Calviniani fatentur, fideles in gravioribus peccatis hoc gratiæ sensu evacuari.

Ex

Ex quibus jam facile apparet, perquam incertam esse illorum de Electione suâ certitudinem.

VII. Dari autem nihilominus *veram* aliquam *Electionis certitudinē*, inde constat, quod in sacris passim ex illo capite solida Conso-
lationis Argumenta reperuntur, quò spectat, quod Salvator ait:
Gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis, Luc. 10, 20. Et S.
Paulus: Reposita est mihi Corona justitiæ, 2. Tim. 4 8.

VIII. Versantur autem Fideles vel in *medio Tractu*, vel *in fine vite*.
Illi possunt *Hypotheticam certitudinem* habere, si nimirum persevera-
verint in fide, usq; ad finem: Quæ verò Hypothesis satis firma habet
fundamenta videlicet verbum Promissionis, Sacramenta tanquam
figilla gratiæ & efficacem Spiritus S. obsignationem, & quæ Aph X.
§. 14. allegavimus; Unde quivis *quantum satù est virium*, ut possit per-
severare, sibi infallibiliter debet polliceri. Deus enim est, qui per illa
ordinaria media operatur & velle & perficere Phil. 2, 13.

IX. Qui verò *in fine vite* constitutus est, quatenus tunc credit, abso-
lutè certus est de suâ Electione. Nam conditio in actu posita deter-
minat rem, cujus erat conditio. Hinc talis Syllogismus Practicus:

Q. In fine constitutus verè credit, ille determinatè certus est de suâ salute.

Atqui *Ego jam in fine vite constitutus verè credo.* (Matth. 10, 20.)

Ergò determinatè certus sum de meâ salute.

X. Ad *Minorem* excipiunt aliquando *Tentati, se non credere*, vel ne-
scire, an credant, quandoquidè nihil solatii in corde percipiant. Hic
distingvendum est inter fidem ipsam & sensum fidei ac solatii; Et
monendi sunt illi, ut Christum in verbo & Sacramentis oblatum,
corde suo amplectantur, & vel *invitum* (talem enim tentatio fingit)
mordicus *teneant*, etiam si caro & cor, quod Assaphus ait, deficient,
Ps. 73, 26. Sufficit enim ad veram fidem, ut Christum teneant, sive id
perlentiscant sive minus.

XI. Alii caussantur, *se non posse credere*. Rogati quid obstat, præten-
dunt conscientiam peccati & sensum iræ divinæ. Hic primum probè
notandum est hanc *peccati conscientiam* conjunctam esse non cum
complacentiâ aut delectatione, sed cum dolore de conscito peccato,
ac propterea fidei non esse opponendâ sed subordinandam. Quære
enim ægrotum, an delectetur peccato, & respondebit velle se, si fieri
possit, ut factum infectum reddatur. Monebis igitur hanc contritio-
nem non solum non impedire, quin credere possit, sed requiri etiam
ad

ad veram & salutarem poenitentiam, juxta illud Salvatoris: *Agite poenitentiam & credite Evangelio*, Marc. 1, 15. Quod sensum iræ divinæ attinet, verum est Deum semper irasci peccato non remisso: sed & hoc verum est, hunc sensum esse partem Contritionis, itaq; non impedire fidem. Accidit autem ut Ægrotus defectum sensus solatii & vehementiam morbi tanquam signum iræ divinæ propriè dictæ interpretetur, quæ tamen Pius à Deo non irato sed placato castigationis vel probationis ergò immittuntur. Ideoq; de finibus crucis informandus & ad patientiam commonefaciendus est Tentatus.

XII. Ut autem planè convincas Agonizantem, ipsum posse credere, allegabis *Promissiones Evangelicas*, per quas ipsi & credendi vires & beneficia Christi in specie offerantur. Tum *Sacramenta*, quæ idè instituta sunt, ut singulis secundum Institutionem Domini Utentibus conceptam fidem in Christum confirmet & obfirmet. Deniq; si Tentatus ex Evangelio novit, Christum esse Salvatorem totius mundi, cujus ipse etiam sit membrum, rogandus est, an non & ipse velit ac desideret illius satisfactione, quam pro toto genere humano præstitit, frui, si fieri possit? Ubi si responderit, *velle se quàm maximè*, salva res est. Est enim hæc *ipsissima fides*, quamvis languida & variis tentationibus occupata. Igitur in tali casu non multum disputandum, sed idoneis orandi Formulis ægrotò præeundum est, quibus ille ad Verbum cum Davide provocans, Psal. 27, 8. quasi cum Deo ipso luctari, eiq; per quendam *fiduciam à vaideia*, Luc. 11, 8. exauditionem extorquere contendat. Sic enim ipsa *πρωξις* Minorem confirmabit.

Atq; hic filum nos abrupimus, per fidem acquiescentes in illa Dei Gratiâ, quæ nobis in Christo data est, & intimis gemitibus Deum veneramus, ut nos per Spiritum S. in verâ illâ *Electorum fide*, velit confirmare & conservare usq; ad extremum vitæ halitum, quò tandem ut fideles Athletæ Coronam vitæ consequamur, & gloriam Gratiæ divinæ in æternum celebremus.

Ipsi DE O Trinuni sit Laus & gratiarum
actio, AMEN.

F I N I S.

Theol. evang. Dogm. 292, 21